

EXPLICATIO PSAL. XVIII.

I. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Comparaturus legem cum cælo atque inde eam mitificè celebraturus, dicit tantam esse maiestatem cæli, ut inde maximè eluceat gloria Dei, qui cælum fecit. Cæli enarrant gloriam Dei, id est, præ cæteris operibus Dei, quæ omnia artificem laudant, cæli sunt, qui sua magnitudine & pulchritudine gloriæ Dei manifesta faciūt. Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Idem repetit alijs verbis; idem enim hoc loco significant cæli & firmamentum, videlicet totum illud cælestè corpus, in quo sunt stellæ, & ipse etiam Sol, & Luna. Nam in 1. cap. Genesios, Deus vocavit firmamentum cælū, & in eo posuit Solem, Lunam, & Stellas. Nihil autem refert, siue cælum, siue cælos dicamus. Nam apud Hebreos nomen est habens formam numeri multitudinis, & coniungitur cù verbis numeri multitudinis. Sed Interpretes modò vertunt cælum in numero singulati, modò cælos in numero multitudinis. Firmamentum igitur in quo, secundum modum loquendi Scripturæ sanctæ, sunt omnia cælestia lumina, annuntiat & declarat hominibus opera manuum Dei, id est, primaria & nobilissima opera manuum Dei, ex quibus ingens colligitur gloria conditoris.

II. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Admirabilis planè est prædicatio, quæ cæli enarrant gloriam Dei. Id quod ostenditur tribus modis. Primo, quia sine intermissione cælum prædicat. Secundo, quia prædicat verbis omnium idiomatum. Tertio, quia prædicat toti orbi terrarū. In hoc versiculo declaratur prædicatio sine intermissione: & quia cælum prædicat per dies & noctes, cù in interdiu conspiaciatur pulchritudo Solis, & noctu pulchritudo stellarum; & quia dies ac noctes non permanent, sed labuntur, ac sibi inuicem succedunt; ideo poetico artificio fagat Propheta, vnum diem peracto cursu & prædicatione sua, tradere diei sequenti verbum

prædicationis, & noctem quoque peracto cursu, & quasi hymno cantato, tradere nocti sequenti manus canendi. Dies, inquit, dies eructat verbum, id est, dies cù finitur, tradit alteri diei verbum laudis diuinæ. Et nox nocti indicat scientiam, id est, & nox si milititer cù finitur, indicat, id est, annunciat nocti succedenti scientiam laudandi Deum, atque ita iugiter, & sine ulla intermissione dies, & noctes quasi choreas ducunt, & Deum laudibus celebrant.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

Hic iam demonstrat Propheta prædicationem cælorum fieri omnibus linguis, id est, intelligi ab omnibus nationibus, ac si cæli omnium nationum linguis loquerentur, quia videlicet omnes vident pulchritudinem, & præstantiam cæli, & inde venire possunt in cognitionem pulchritudinis, & excellentiæ Conditoris. Non sunt loquelæ neque sermones, id est, nulla sunt idiomata, quorū idiomatum non audiantur voces eorum, id est, cælorum, id est, quæ idiomata non exprimuntur vocibus cælorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. IV.

Explicatur tertia laus eloquentiæ cælorum, quod non solum sine intermissione, & omnibus linguis, sed etiam in vniuersa terra audiuntur cæli enarrantes gloriam Dei. Personam, non intelligitur cōcentus aliquis corporalis, qualem in cælis Philosophi aliqui posuerunt, sed prædicatio illa gloriæ quæ oritur ex pulchritudine cæli considerata ab hominibus. Idem quoque est, in omnem terram, & in fines orbis terræ. Sæpissimè enim Prophetæ rem eandem bis repetunt. In Hebreo legitur pro sonus eorum, καὶ οὐαν, quod significat linea, siue regula eorum. At videntur Septuaginta legisse, non καὶ οὐαν, sed καὶ οὐαν, vñica litera addita, quod est sonus eorum. Nam si legissent καὶ οὐαν, nunquam vertissent, φέροντες ἀντῶν, id est sonus eorum, nisi imperitissimi fuissent. Adde, quod S. Hieronimus quoque ex Hebreo vertit, sonus eorum. קים קולם

K

Et sic